Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

sermonem credibilem ei facit. ad imbecillitatem illius condescendens. Cum subdit. Amen amen dico tibi quia quod scimus loquimur. et quod vidimus testamur. et testimonium nostrum non accipitis. Apud nos visus aliis sensibus certior est. et si volumus aliquem facere credere. ita dicimus. quoniam oculis nostris vidimus. ipse Christus in humano ad eum loquens sermone. non visum sensibilem inducat. sed manifestum est quod de certissima cognitione et non aliunde sciente loquitur. Igitur hoc quidem. i. quod scimus. loquitur de se ipso solo. Haymo. Queritur autem quare pluraliter dicat. quod scimus loquimur. Ad quod dicendum quia unigenitus dei filius erat qui loquebatur. ostendens qualiter pater est in filio. et filius in patre. et spiritus sanctus ab utroque indivisibiliter procedat. Alchuinus. Vel dicat pluraliter. ac si dicat. Ego et illi qui in spiritu sunt renati. intelligimus unde quod loquimur. et quod vidimus. apud patrem in abscondito. Hoc testamur foris in mundo. et vos qui carnales estis et superbi. non accipitis testimonium nostrum. Theophilus. Quod nequaquam de nicodemo dicit. sed de genere iudeorum. qui usque ad finem in perfidia permanserunt. Crisostomus. Quod quidem non turbati verbum est. sed mansuetudinem ostendentis. Hunc enim erudit nos cum ad aliquos loquimur et non persuaserimus. non tristari. nec irasci. sed nostrum sermonem credibilem facere. non solum non irascendo. sed et non clamando. Materia enim ire clamor est. Hic autem dogmata excelsa tangere debens. propter audientium infirmitatem se detinet multotiens. et non continue dignis sua magnitudine dogmatibus immoratur. sed magis his que condescensionem habent. Unde hic subdit. Si terrena dixi vobis et non creditis. quomodo si dixero vobis celestia credetis. Augustinus. Hoc est. Si non creditis quia templum possum suscitare destructum a vobis. quomodo credetis quia per spiritum possint homines regenerari. Crisostomus. Vel aliter. Si baptismum terrenum dicat. non mireris

quia in terra perficitur. et comparatione illius nativitatis stupende que ex substantia patris. terrena est gratie nativitas. Et bene non dixit non intelligitis. sed non creditis. Nam cum quis aliqua per intellectum suscipere non valet. amentie vel ignorantie imputatur. Cum autem non suscipiat aliquis quod solum fide oportet suscipere. non amentie sed infidelitatis est accusatio. Dicebantur autem hec et si non credebantur. quia posteri erant ea suscepturi.

Et nemo ascendit in celum nisi qui descendit de celo: filius hominis qui est in celo.

[C]otata pau[...] Augustinus. [C]ulum enim ipsa qui se celis de magisterio perferebat. et omnino tamen in credulitate reprehensa. videret quod alii credant. illi non credunt ad illud quod interrogatus est. quomodo possunt ista fieri: dicens. Nemo ascendit in celum nisi qui descendit de celo. filius hominis qui est in celo. Quasi dicat. Sic fiet generatio spiritualis. ut sint celestes homines ex terrenis. quod adipisci non poterunt nisi membra mea efficiantur. ut ipse ascendat qui descendit. non aliud deputans corpus suum. i. ecclesiam suam quam se ipsum. Gregorius. Quia enim nos unum cum illo iam facti sumus. unde solus venit in se solus redit et in nobis. et is qui in celo semper est. ad celum cotidie ascendit. Augustinus. Quamvis autem in terra factus sit filius hominis. divinitatem tamen suam qua in celo manens descendit ad terram. non indignans censuit nomine filii hominis. sicut carnem suam dignatus est nomine filii dei. Per unitatem enim persone qua utraque substantia unus est Christus. et filius dei ambulabat in terra. et idem ipse filius hominis manebat in celo.

de verbo pu[...]

xxvii. mor[...]

de verbo pu[...] ioh